



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XLI. De Regulis Iuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

CAPVT XXXIII.

Gregorius IX. Decano, & Sacristia Engo.

Transmissæ nobis litteræ continebant, quod significantibus Episcopo, & Capitulo Xanton. quod quadragenarius Canonorum numerus institutus in eorum Ecclesia non poterat observari, pro eo, quia non sufficebant Ecclesiæ facultates, vobis dedimus in mandatis, ut Canonorum, & præbendarum numerum juxta facultates Ecclesiæ moderantes, statueretis eundem firmiter observari: vos verò invenistis prædictæ Ecclesiæ facultates, à tempore statuti numeri adeo excrevisse, quod absque mutilatione præbendarum major haberi posset numerus in eadem; quare quæsitus, an per moderationis verbum literis nostris appositum eundem numerum augmentare, vel minuere deberetis. Quocirca mandamus, quatenus si veteres non sunt minutz præbendæ, cum moderatio locum non habeat, ipsarum, & Canonorum numerum dimittatis in eodem statu, in quo hæctenus dignoscitur exstitisse, in utilitatem ejusdem Ecclesiæ convertentes augmentum suorum reddituum, donec duxerimus aliter disponendum.

NOTÆ.

de quibus egi in cap. final. de corpore vitæ.

b' Moderantes.] De numero Canonorum augendo, vel minuendo juxta proventus & redditus Ecclesiæ, egi in cap. cum M. de consuet.

2

^a Engo.] Engolismensi videlicet, quæ est Ecclesia Cathedralis in Gallia in Comitatu Burdegalensi, ubi etiam est Ecclesia Xantonensis,



TITULUS XLI

De Regulis Iuris.

CAPVT PRIMVM.

Joannes Chrysostomus.

Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.

NOTÆ.

^{1.} ^a Chrysostomus.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & in Decreto Ivonis p. 8. cap. 233. & sub nomine Paleæ citatur textus hic à Gratiano in cap. omnis 4. 27. q. 2. & in margine hujus textus additur homil. 32. in Mattheum, in opere imperfecto: & extant verba hæc volum. 2. ejusdem D. Chrysostomi, ubi alia 27. homiliae extant, ut jam notavit Antonius Augustinus in presenti.

penult. Instit. de jure natur. testamentum testamento rumpitur, l. 1. §. 2. ff. de injusto rupto: obligatio verbis contracta contrariis verbis tollitur, l. an inutilis 8. §. acceptum, ff. de accept. l. debitor 36. ff. de jure dot. similiter obligatio ex consensu orta contrario consensu dissolvitur, l. si unus 27. §. pactum ff. de pactis, l. 1. 2. §. 4. Cod. quando liceat ab emptione, l. 72. ff. de contrah. emption. & sic hypotheca, quæ nudo consensu contrahitur, l. si tibi 17. §. de pignore, ff. de pactis, nudo pacto tollitur, l. 2. C. de remiss. pignori. l. 10. C. de pignori. Sic etiam quia servi manu capiuntur, unde mancipia appellantur, l. 4. in fine, ff. de stat. hominum, Varro lib. 5. de lingua Latina, ut à potestate liberentur, è manu emittuntur, l. 4. ff. de just. & jur. & sicut inter solemnitates testamenti testes signatorii adhibebantur, ita in ejus apertura eosdem testes vocari oportuit, l. 4. l. sed si major 6. ff. testamenta quemadmodum, Paulus lib. 4. sentent. tit. 6. & sicut clericus cum ordinatur, calicem & cætera ornamenta ecclesiastica accipit, ita & eadem illi auferuntur cum degradatur, cap. Episcopus 11. q. 3. cap. 2. de poenit. lib. 6. quod & in exauratione militis observatur, l. 2. §. ignominia,

COMMENTARIUM.

^{2.} Regula hæc in jure civili expressè traditur in l. nihil tam naturale 35. ff. de R. l. l. prout, ff. de solut. & magna nititur ratione, quoniam generationes, & corruptiones ex contrariis in contraria fiunt. D. Thomas 1. p. 9. 7. art. 6. Unde jura civilia civili commento solvuntur, §. minus Instit. de heredit. qua ab incest. naturalis obligatio naturali ratione solvitur, l. Scichum 95. §. naturalis, de solut. pactum pacto abrogatur, l. si unus 27. §. pactum, ff. de pactis: lex lege tollitur §.

Hb. 4

minia, ff. de his qui not. infam. Illustrat Petrus Faber *lib. 1. semestr. cap. 17.* Langleus *lib. 13. semestr. cap. 1. & 2.* immò jure civili attento hæc regula valde vigeat in matrimonii dissolvendis; nam sicut in matrimonio flaminis contrahendo confarreatio intercedat, Ulpianus *tit. 9.* Plinius *lib. 18. hist. cap. 3.* Tacitus *lib. 4. annal. sic in eo dissolvendo diffarreatio desiderabatur.* Festus verbo *Diffarreatio*; & sicut in contrahendis nuptiis claves tradere moris erat, ita etiam in dissolvendis earumdem solennis fuit ademptio. Tul. *phil. 3. D. Ambrosius epist. 75.* & sicut in contrahendo matrimonio certæ verborum formulæ usurpari consueverant, *Vbi tu Cajus, & ego Cajo,* Tul. *in oratione pro Murena, Quintilianus lib. 1. cap. 7. & lib. 5. cap. 10.* sic in dirimendo certæ fuerunt et-

iam verborum conceptiones usitatae. *l. 2. ff. de divor. tit. 1. probavi in cap. 1. eod. tit.* & ut nuptiæ testato fiebant, hoc est presentibus testibus, *l. uxor, C. de repud. Juvenal. satyr. 10.*

Venit cum signatoribus auspex.

Apulejus *lib. 6. de asino*; ita repudium ratum esse non poterat, nisi septem testibus adhibitis, *leg. nullum, ff. de divor.* Et tandem sicut mulier cum nubebat, deducebatur in domum viri, *l. mulierem 5. ff. de ritu nupt. l. penult. ff. de donat. inter;* ita in casu divortii mulier de domo expellebatur. Quintilianus *declamat. 2. 6.* Illustrat Forneri *lib. 1. rer. quod. cap. 9.* prosequuntur alia exempla Petrus Faber, Gothof. Bronchorst, & Cujac, *in d. l. nihil tam naturale 35. ff. de R. I. Gibal. in presenti.*

CAPUT II.

a Beda in homilias

EStote misericordes, &c. Hoc loco nobis nihil aliud præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim est scriptum: Ex fructibus eorum cognoscetis eos; de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, ut stuprum, blasphemia, furta, ebrietas, & similia, de quibus nobis permittitur judicare.

NOTÆ.

- I. a **Beda.**] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 7.* & hæc verba reperiuntur inter opera ipsius Venerabilis Bedæ in Lu-

eam lib. 2. cap. 24. & Raymundus hanc regulam transcripsit ex dicta prima collectione, ubi *cap. 2.* extrat alia D. Augustini ad idem significandum his verbis: *Innuis, quod ambigua debemus in ambigam partem vertere.*

CAPUT III.

a Idem.

Qui scandalizaverit, &c. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

NOTÆ.

- I. a **Idem.**] Sic etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 9.* & verba hæc extant apud ipsum Bedam *ad caput 9. D. Marcæ*; & hanc eandem regulam antea expresserat, deduxeratque ex evangelico textu D. Matthæi, *cap. 15.* D. Gregorius *lib. 1. in Ezechielem, homil. 7.* ibi: *Ex qua re nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus; si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.* Idem Gregor. *lib. 9. regestr. epist. 39. ad Theodistam Patriciam*, a quo acceperunt D. Bernard. *in apolog. ad Guillelmum Abbatem*, §. jam verò, *in fine*, ibi: *Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo: Melius est, ut scandalum oriatur, quam*

veritas relinquatur. Et in Epistola 34. ad Drogonem, & *tract. de precept. & dispens. cap. 12.* D. Thomas 2. 2. q. 43. *art. 7.* Consonant etiam textus *in cap. nisi 10. vers. Pro gravi, de renunc. cap. inter verba 55. vers. Si autem 11. q. 3. cap. si illa 23. r. q. 7. cap. 2. de novi oper. nunc.* & rectè ea jura de scandalo passivo, pro quo veritas nunquam deferenda est, acceperunt Covar. *in regul. peccatum*, t. p. num. 4. Mancinus *genial. cent. 1. cap. 113.* Valquez *in opusculo de scandalo, ad q. 43. D. Thomæ, art. 2. 3. usque ad 8.* Facit Tertull. *de velandis virginibus*, cap. 3. ibi: *Bona res neminem scandalizant, nisi malam mentem; agnoscant malum suum, quæ de tali bono scandalizantur.* Plura de scandalo vitando, vel non, congeffit Salgado *de recent. Bullar. part. 1. cap. 4.* Gibal. *in presenti.*

CAPUT IV.

a Idem super Marcum.

Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum; nam & sabbatum custodiri præceptum est: Machabæi tamen sine culpa sua in sabbatho pugnabant. Sic & hodie, si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.

NOTÆ

NOTÆ.

^a *Dem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. c. 12. & reperiuntur hæc verba inter opera ipsius Bedæ ad cap. 2. D. Marci.
^b *Necessitas facit.*] Ut probavi in cap. si

propter necessitatem, de furtis.
c Pugnabant.] Factum hoc Machabæorum exposui in cap. 1. de treug. & pace.
d Egrotus.] Lege enim jejuniij non tenentur ægroti, & senes, ut probat Narbona de astate ad actus humanos, anno 60. Gibal. hic.

CAPUT V.

^a Gregorius VII.

Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum est, nulla debet stabilitate sub-
sistere.

NOTÆ.

I. ^a *Gregorius.*] Malè in hac sexta collectione, & in prima sub hoc tit. c. 4. legitur Gregor. VII. cum sit D. Gregorii Magni, & reperiatur in Regestro epistolarum ipsius, libro 2. indict. 11. epist. 54. Ioanni Episcopo Ravennati missa, in qua reprehendit ipsum Ioannem, quia pallio extra Missarum solennia utebatur, cum tantùm intra & certis diebus eo uti posset iuxta tradita in c. 1. de auctorit. & usu pallii: & quia consuetudinis prætextu excusabatur, ita post alia ait: Nam & de ipsa consuetudi-

dine tua, quam opponis, Ecclesie qua vobis olim, ut à partibus vestris probaretur, scripsimus, iam non satis sollicitudinem gessisse cognoscite, inquirentes filios nostros Petrum Diaconum, atque Gaudiosum Primicerium, necnon & Michaëllum defensorem Sedis nostræ, vel alios, qui pro diversis responsis Ravennam a nostris decessoribus sunt transmissi, & hæc te in presentia sua egisse districte negaverunt. Apparet igitur secretò non potuisse geri, nisi quod usurpabatur illicitè: unde quod latenter subintroductum est, nulla debet stabilitate persistere. Gibalinus hic.

CAPUT VI.

^a Idem Gregorius Narzi Patricio.

Dum contemplationis dulcedinem altè descripsistis, ruinæ meæ mihi gemitum renovastis, quia audiivi quid intus perdidisti, dum foris ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me percussum mœrore agnoscite, ut vix loqui sufficiam: oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident. Triste est quicquid aspicitur, quicquid delectabile creditur, cordi meolamentabile apparet. Pense enim, ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quantum dejectus exterioris proventus culmen ascendi: & pro culpis meis in occupationis exilium à facie dominantis missus, quasi destitutæ viduæ vocibus cum Propheta dico: Qui consolabatur me, longè recessit à me. Quod verò causæ, & nominis similitudinem faciendo, per scripta vestra clausulas, declamationesque formatas, certè frater charissime, simiam leonem vocas. Quod eo modo vos agere conspiciamus, quod nos scabiosos sæpe catulos, pardos vel tygrides vocamus. Ego enim, bone vir, quasi filios perdidisti, quia per terrenas curas recta opera amisi. Nolite ergo me vocare Noëmi, idest pulchrum: sed vocate me Maram, quia amaritudine plenus sum. Quod autem me dicitis scribere non debuisset, ut in agro Dominico cum bubalis non arares, quia in ostenso Beato Petro linteo, & bubali, & omnes feræ oblatæ sunt: scis ipse quia subunctum est: Macta, & manduca. Tu ergo, qui easdem bestias necdum mactaveras, cur jam manducare per obedientiam volebas? Aut nescis, quia easdem quas scripsisti bestias, oris tui gladius occidere recusavit? Quas ergo per compunctionem occidere potueris, de illis necesse est, ut in tui desiderii fame satieris. De causa autem fratrum nostrorum, ut scripsisti, ita futurum, si Deus adjuvet, æstimo: de qua modo serenissimis rerum Dominis scribere omnino non debui; quia in ipso initio non est à ^b questibus inchoandum. Sed dilectissimo filio meo Honorato Diacono scripsi, ut opportuno tempore eis congruè suggerat, & mihi responsum sub celeritate indicet, domnum Alexandrum, domnum Theodorum, filium meum Marinum: domnam Eufiriam, domnam Eudochiam, & domnam Dominicam, meam peto vice salutari.

NOTÆ.

I. ^a *Dem.*] In hac sexta collectione legitur *Variensi*. Gibalinus hic retinet *Vurvariensi*. In prima verò collectione sub hoc tit. c. 5. legitur *Pamei*: sed veram inscriptionem, & integram litteram restituo ex ipso Regestro Gregorij Magni, ubi lib. 1. epist. 6. repositur textus hic.

^b *Questibus.*] Tam in prima, quàm in hac sexta collectione legitur *questionibus*, unde communiter repentes in præsentem docuerunt, non esse à questionibus, idest à tormentis in iudicijs incipiendum: sed vera mens Gregorij Magni est, non esse à questibus, idest à querelis, inchoandum, ut ex ipsa epistola aperte deducitur.

CAPUT

CAPVT VII.

Stephanus Papa.

Stephanus sanctæ Apostolicæ, & universalis Romanæ Ecclesiæ Episcopus: omnibus per diversas provincias constitutis Episcopis, in Domino salutem. Plurimum gaudemus in Domino, & in dono gratiæ ipsius gloriamur, quod fides vestra per bona opera crescit magnificè, & dilatatur amplissimè. Sed nimis affligimur, & tribulamur de vestra oppressione, super qua crebrior commeantium usque ad nos fratrum sermo perlatus est. Non oportuerat quidem ab illis, à quibus sustentari, & portari, atque honorari debueratis, tantis vos oppressionibus concuti. Quapropter necessarium est, ut remotis talium tergiversationibus, quibus venenosa malitia revelari, atque obscurari bonitas, & veritas tolet, adminiculum non modicum vobis à fidelibus impendatur, atque ab hac Apostolica Sede suffragetur, quos per divinam gratiam Christi auxilio dignum est adjuvari, ne in totius Ecclesiæ perturbationem imprudens procedat intentio, & ea, quæ à sanctis prædecessoribus nostris, & reliquis sanctis Patribus dudum fuerant prohibita, denuò reviviscant. Loci namque nostri consideratione compellimur, ea quæ ad notitiam nostram emendanda pervenerunt, propter Dominum non derelinquere, sed digna emendatione corrigere. Et si secularibus officiis ordo suus, & tradita à majoribus disciplina servanda est, quis ferat ecclesiasticos ordines temeraria præsumptione confundi, audita negligere, & emendanda non opem ferendo postponere? Audivimus enim, vos à quibusdam accusari, non tam pro vestra culpa, quam pro eorum libitu, ut vestra rapere possint: & ideo vos nimis affligi, & concuti in tantum, ut etiam à sedibus propriis pellamini, & tali occasione Ecclesiæ, facultateque vestre vastentur, ac deprudentur. Ista, charissimi, non oportet fieri, nec denuò replicari. Tamen necesse est, ut quæ tories usurpantur, sæpius replicentur, & prohibeantur. Nam quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis iniuste agitur, pro sacrilegio reputabitur, qui sacra sunt, & violari à quoquam non debent.

NOTÆ.

1. ^a **Stephanus.**] In prima collectione, *sub hoc tit. c. 7.* legitur *Idem*: sed male, cum textus hic sit Stephani I. Pontificis, & non Bedæ. Verba quæ in præsentis referuntur, reperiuntur in epistola 2. ipsius Pontificis omnibus Episcopis missa, ex qua integram clausulam transcripsi. Stephanus hic I. Rom.

Pontifex, creatus die 19. Aprilis anno 257. Martyriusque conatus fuit die 2. Augusti anno 260. referunt Baron. & Corjolanus eo anno. Scripsit duas epistolas, quæ extant *tom. 1. Conciliorum Biniis*, & apud Baronium *tom. 11. annal. ex secunda transcripta fuit præses regula. Similis reperitur, in c. nulli 12. q. 2. b. Sacrilégio.] Sacrilégium quot modis committatur, expotui *in cap. cum sit 8. de foro compet.**

CAPUT VIII.

Augustinus.

Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat, facit: & ideo jam non facit.

NOTÆ.

2. ^a **Augustinus.**] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 10.* ubi notavit

Ant. Augustinus adhuc neminem indicasse, ubi verba hujus textus reperiantur. Gibalinus credit, sententiam esse D. Augustini *in lib. de vera & falsa poenit. cap. 4.*

CAPVT IX.

Idem in libro de Sapientia.

Desinat peccator, quia offendens in uno præcepto, factus est omnium reus.

NOTÆ.

1. ^a **Idem.**] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 11.* & apud Gratianum *in c. 1. de poenit. dist. 1.* & extant verba hæc apud ipsum sanctum in *lib. de vera & falsa poenit. cap. 14.* Facit D. Gregorius relatus à Gibalino *in præsentis.*
2. ^b **Omnium reus.**] Hæc verba sunt D. Iacobi in *epist. canonic. c. 2.* ubi ait: *Si autem personam accipitis, peccatum operamini redargui à lege, quasi transgressores. Quicumque autem legem ser-*

vaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Quæ sententia, quatenus vera sit, difficile est, siquidem multi unum præceptum violant, cætera vero servant: ergo illius tantum rei fiunt. Aliqui apud D. Augustinum *de vera & falsa poenit. c. 14.* asserunt fieri omnium reum, qui omnia peccata dimissa, per ingritudinem quodammodo redeunt. Glosa Lyra & alii in dicta epistola D. Iacobi affirmant, fieri omnium reum, quia eandem poenam damni incurrit, sc. privationem gratiæ, charitatis, virtutum moralium, infusarum, ac ipsius gloriæ, perinde atque

quæ si omnia peccata violaret. D. August. *epist.* 29. Qui in uno, ait, offendit, factus est omnium reus, quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque sit omnium faciendo contra eam, à qua pendent omnia. D. Chrysoſtomus *homil.* 35. ait: Fit omnium reus, quia perdit Dei amicitiam, gratiam, & vitam ſpiritualem animæ, atque incurrit mortem ſpiritualem, & reatum gehennæ, perinde atque qui toto corpore armatus, exceptâ unâ parte, in illa lethalem plagam accipit, quæ illum occidit æquè ac ſi in cæteris omnibus plagam lethalem accepiſſet. Cornel. à Lapide in *d. epist. D. Iacobi*, refert ex Burgenſi, & aliis S. Iacobi tempore fuiſſe hæreſim Phariſæorum, qui cenſebant unum, aut alterum le-

gis præceptum transgredi non eſſe grave peccatum, quo Deus offenderetur, niſi omnia præcepta, aut potior eorum pars transgredederetur: contra quos aſſerit Apoſtolus, eum qui in uno offendit, fieri omnium reum, Deique offenſam & iram incurtere, utpote qui tam unum, quàm alterum præceperit; qui enim univerſam legem condidit, ſingula quoque ejus præcepta dedit. Etiam textus hic accipi poteſt de reatu pœnæ damni, quæ reſpondet averſioni, in qua conveniunt omnia peccata, licè non comitentur inter ſe. Tapia *tom. 1. catena mor.* lib. 3, g. 5. art. 5. ubi in fine etiam aliter explicat cum D. Auguſtino *ſerm. 60. de tempore. & epist. 29.* quoad detractiõnem charitatis, quæ eſt plenitudo legis.

CAPUT X.

^a Gregorius Ioanni Episcopo Conſtantinop.

Quamvis cauſæ conſideratio me movet ad ſcribendum, tamen & charitās impellit quia & ſemel, & bis ſanctiſſimo fratri meo domno Ioanni ſcripſi, ſed non ejus epistolæ recepi. Alter enim mihi ſæcularis quidam ſub ejus nomine loquebatur; quæ ſi epistolæ ejus fuerint, ego vigilans non fui, qui longè de eo aliter credidi, quàm inveni. De cauſa enim Reverendiſſimi viri Ioannis preſbyteri ſcripſeram, atque de quaſtionibus monachorum Iſauriæ, quorum unus & in ſacerdotio poſitus, in Eccleſia veſtra ſtibus caſus eſt: & reſcripſi mihi, ſicut ex nomine epistolæ agnoſco, ſanctiſſima fraternitas tua, quia neſcierit de qua cauſa ſcriberem. Ad quod ſcriptum vehementer obſtupui, mecum tacitus volvens: ſi verum dicit, quid eſſe deterius poteſt, quàm ut agantur talia contra ſervos Dei, & ipſe neſciat qui præſto eſt? Quæ enim poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves commedit, & paſtor neſcit, &c.

NOTÆ.

I. ^a Gregorius. Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 1. 4.* & reperitur textus hic in ipſo Regiſtro Epistolarum D. Gregorii, *lib. 2. epist. 52.* ex qua reſtituo præſentem regulam; non tamen integram epistolam tranſcribo, quia verba, quæ ſequuntur, parum aut nihil faciunt ad præſentem regulam, in qua tantùm intendit Gregorius

docere, non excuſari Prælatum proprium prætextu ignorantia, ſi oves pereant, cum regulariter paſtores vigilare debeant, *c. tres, 23. q. 4.* & ideo omnem cuſtodiam præſtant, *l. qui mercedem, ff. locari, ideoque Prælatum ex negligentia teneri, docetur in cap. dictum, 81. diſt.* & in his quæ ad officium ſpectant, teneri Prælatos, & officiales ſeſe diligenter gerere, ex hoc textu, & multis inſtantiis probat Alber. Gentil. *lib. 1. Hiſpan. advocat. cap. 19.*

CAPUT XI.

^a Lucius III. Eborac. Archiep. & London. Decan. & Abbati de Filien.

Retulit nobis dil. fil. noſter I. Archidiaconus ^b Ciſtren, quod Episcopus ejus pro eo, quod decanatum; tanquam quem ſibi de jure credit competere, vindicare laborat, ipſi proſus inſeſtus, jura ipſius minuere, & quæ ad Archidiaconatum de conſuetudine, & de jure ſpectare noſcuntur, turbare, & ſubtrahere poſt appellationem ad Sedem Apoſtolicam factam non deſiſtit. Præterea homagium, & fidelitatem novam ab eo pro ſua requirit voluntate. Volentes itaque patientiæ, & juſtitia ipſius Archidiaconi paterna dilectione providere, d. v. per A. f. m. quat. in quaſita diligentius veritate, ſi eum prædeceſſori Episcopo, & ſucceſſoribus ejus fidelitatem juraffe conſiterit, jam dictum Episcopum ex parte noſtra moneatis, & Eccleſiaſtica cenſurâ nullius ap. ob. auctoritate noſtrâ cogatis, ut jura Archidiaconatus integrè poſſidere ſine contradictione, & ap. ceſſi, permittat, & ab exactione homagii, & fidelitatis omnino deſiſtat: indignum ſiquidem eſt, & à Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, ut pro ſpiritualibus facere homagium quifquam compellatur.

NOTÆ.

I. ^a Lucius III. Ita legitur in hac ſexta collectione, in prima autem, ubi *ſub hoc tit. cap. penult.* reperitur præſens textus, nulla inſcriptio ponitur, eam tamen, & integram literam reſtituo

ex cap. 2. de exceſſib. Prælat. in 2. collect.

^b Ciſtren. De Ciſtrenſi, ſeu Cicelſtrenſi Angliæ Eccleſiæ egi in cap. 2. de corpore viſitat.

^c Facere homagium. Textum hunc expoſui in cap. ex diligenti, de ſimonia, cap. 2. de jurejur.

FINIS LIBRI QVINTI DECRETALIVM.